34.4.B.15/4
138

EXAMEN

DOCTRINÆ CALVINIANÆ ET BEZANÆ DE COENA

Domini, ex ſcriptis au-
ctorum eiuſdem
collectum.

Per F. Claudium de Sainctes Lutetiæ Theologum.

Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. inscr.

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,

Apud Claudium Fremy, via Iacobæa,
ad inſigne S. Martini.

1566.

CVM PRIVILEGIO.

B. 9.

Ex totius operis inſcripti, Repetitio de Euchariſtia, &c. per F. Claudium de Sainctes, dato Boÿs ad ſeptennium 12. menſis Februarÿ 1566. prohibitum eſt ne quis præter Claudium Fremy hoc 2. caput quarti libri ſupra ſcripti totius operis, inſcripti Examen Caluinianæ doctrinæ, &c. imprimat, alias mulctabitur pœnis in dicto priuilegio contentis.

ILLVSTRISSIMO PRINcipi, atque ampliſsimo Cardinali, Carolo Lotharingo, Domino ſuo obſeruandiſsimo, F. Claudius de Sainctes S. precatur.

CVM ad nos allata eſt, Illuſtriſsime Princeps, exorta Lugduni inter Caluiniſtas de Cœna Domini contentio, non mirãdum quibuſdam noſtris theologis dixi, ſi diſſecaretur ſecta auctoris quàm longiſsimè deſsidẽtis à ſemetipſo. Mirabar anteà tandiu Caluiniſtas in vna opinionis confeſsione conuenire, cùm eorum ducem Caluinum, & anteſignanum Bezam nuſ-

quam ſibi conſtare legerem. Suſpicabar facilè miniſtros potius cõiurationis quàm religionis vinculo colligari, cùm nullam vnius religionis fixam ſententiam in ipſorum libris animaduerterem. Tum fortè habebam in manibus caput commentariorum nõſtrorum de Euchariſtia, inſcriptum De examine Caluinianæ & Bezanæ doctrinæ circa Cœnam Domini, quod illis Theologis percurrendum dedi, à quibus rogatus ſum, vt ſeorſum illud emitterem ſaltem admonendi cauſſa nõnullos, qui Caluinianæ doctrinæ & Bezanæ addicti, prorſus neſciunt, aut non attẽdunt, quo pacto vterq; in inueniẽda aut aſſerenda ſua fictione ſe geſſerit, & docuerit: plurimos inſuper fore addebant, qui libẽtiùs inſpicient exiguum iſtud opuſculum ſeparatum, quàm inter tot alias diſputationes operi noſtro de Euchariſtia inſertum. Reluctabar ego, ac magis probabam non edi,

niſi cum aliis quibus Caluiniana doctrina redarguitur & confutatur. Illi contrà poſtulabant tractatum iſtum ſaltē excudi, tanquam hiſtoriam ex Caluini ſcriptis cō pilatam ad Caluiniſtas commonefaciendos in ipſa ſua diuiſione de viri impoſtura, fallacia, atque inconſtantia, quem tantùm non deum adorant, & à quo doctrinam acceptam Euangelium credunt, próque ipſa tanquam pro veriſſimo Dei verbo dimicant. Conſtat enim Bezam palam affirmare, vni Caluino poſt Chriſtum & Apoſtolos deberi veram & germanam de Cœna Domini intelligentiam. Beza in vita Caluini. *Ceſſi bonorum conſilio & iudicio: ſed ne diu reprehendar ſi quid in iſta editione peccaui, curabo propediem quatuor libros repetitionum noſtrarum de Euchariſtia ferè abſolutos, typis & omnium oculis committi, qui fulti tua auctoritate exibunt, Illuſtriſſime Princeps, qui mecum omnia*

mea qualiacūque fuerint, iure optimo tibi potes vendicare. Interea precamur à Domino noſtro Ieſu Chriſto magis ac magis in te cōfirmari hæreditariam tuam quam præſtas in religione Catholica conſtantiam, & in perſecutionibus virtutem, atque animi magnitudinem. Vale. 30. Maii, anno Domini M.D.LXVI.

EXAMEN DOCTRINAE *Caluinianæ & Bezanæ de Cœna Domini, ex ſcriptis auctorum eiuſdem collectum.*

CVM ex Caluini diſcipulis aſſequi nequirē planè quid ille ſenſiſſet de Cœna Domini, ſed illos animaduerterem circulatorum more ac præſtigiatorum, verba inania fundere, modò affirmantia ſubſtantialem eſum corporis Domini, modò eundem negantia, Caluini ſcripta omnia conſulere decreui, ex eorúmq; collatione ipſius ſententiam indagare. Comperi verò incerta omnia atque pugnātia. Ea autem quò perſpiciantur faciliùs, in tres articulos digeſſi: quorum primo tractabitur quid à nobis Calui-

nus ſumi in Cœna ſtatuat: Altero qualem præſentiam corporis Dominici in ſacramento idem reponat: Tertius verſabitur circa interpretationem verborum Domini, Hoc eſt corpus meum.

Priuſquam verò de his agamus, vt iudicetur quàm ſincerè Caluinus ſe in iſto Cœnæ negotio geſſerit, ante omnia meminiſſe oportet ſuſceptam ab illo cauſam hanc, cum tęderet plurimos diuturni diſſidij quod inter Lutherum & Cinglium exarſerat. Tũ enim quaſi demitteretur nouus Deus ex machina Caluinus repente apparuit, qui de eorum controuerſia cognoſceret ac decideret. Imitatus eſt illum Q. Fabium Labeonem, qui (ſicuti apud Ciceronem legitur) arbiter Nolanis & Neapolitanis de finibus agri à Senatu datus, cùm ad lo-

Libr. 1. de Offic.

cum veniſſet, cum vtriſque ſeparatim locutus eſt, vt ne cupidè quid ageret, aut appeteret, atque vt regredi quàm progredi mallent. Id cùm vtrinque feciſſent, aliquantum agri in medio eſt relictum. Itaque illorum fines ſicuti ipſi dixerant, terminauit, in medio quod erat, populo Romano adiudicauit. Decipere hoc quidem eſt, non iudicare, concludit Cicero. Vt ſimili ſolertia Lutherũ & Cinglium falleret Caluinus operam dedit; librum ſcripſit de Cœna Domini, in quo Lutherum & Cinglium de finibus veritatis litigantes coërcet: & quod inter eos medium relinquebatur, occupat, vt tandem vtrunque de tota poſſeſſione deiiciat. Lutherus eas partes tuebatur, quæ præſentiſſimum in pane & vino Euchariſtię verum & naturale Chriſti corpus eſ-

ſe, & inde realiter ac ſubſtantialiter etiam ab indignis ſumi aſſerunt. Cinglius contrà fouebat illas, quæ à pane & vino penitus corpus & ſanguinem abſtrahunt, cœlóque concludunt, percipi tamen fructus & merita paſſionis à Chriſto per ſacramentũ Euchariſtiæ defendunt. Media reſtabat ſententia, quæ panem & vinum ſentiret cum Cinglio corpore & ſanguine Domini vacua, & tamen cum Luthero videretur affirmare, nõ puram ſpiritalem gratiam in ſacramẽto percipi, ſed de cœlo ipſam carnem Chriſti & ſanguinẽ fidelibus adminiſtrari. Hanc Caluinus ſibi inter diſſidentes opinionem initiò arrogare viſus eſt; ſed propter Geneuæ & Heluetiorum confinium in Cinglianiſmũ poſtremò magis inclinauit. Quoniã inter potẽtiſſimas factiones ſibi quæ-

rebat nomen, locum, & dominium, nec quandiu vixit, alteram opprimere potuit, vtraſque potius mitigare quàm oppugnare videri voluit: modò in has partes, modò in illas propendere: verba & vocabula vtrique factioni familiaria permiſcere, ſed aliter quàm ſonarent interpretari ſtuduit. Nihilominus tamen vtraſque ſectas grauiſſimè offendit. Nam Cingliani ferre non potuerunt ſe à Caluino reprehendi, & ſine ſcripturarũ auctoritate nouum quoddã figmentum de Cœna Domini afferri. Initio quidem Cinglius cum ſuis tantum perceptionem fructuum & beneficiorum atq; efficaciam paſſionis Dominicæ in cœna fieri ſuſtinebat. Carnẽ verò Chriſti nihil planè prodeſſe ad vitã putabat. Hanc eius opinionẽ Caluinus aſperiùs redarguit ex ſer-

monibus Chriſti, Caro mea verè eſt cibus: &, Hoc eſt corpus meum: Accipite & edite, vt diſputat in ſextū caput Iohānis, & in caput vndecimū primæ ad Corinthios, atque in Inſtitutione, ſicut inter allegata poſterius comperietur. Contendit verò nos in Cœna non ſolum fructum capere, ſed incorporari primùm carni Chriſti per fidem & ſpiritus ſancti potentiam, vt efficiamur os de oſſibus, & caro de carne, & alia beneficia ſumamus. Eam ob cauſam Cingliani fuerunt illi valde infeſti à principio. Hos vt placaret, conſcripſit tractatum de conſenſione mutua Tigurinæ & Geneuēſis Eccleſiæ, quo docere adnititur ſe nihil à Cinglio & eius ſcholæ magiſtris diſcrepare, ac proinde tum conſultò abſtinet à nominanda ſubſtantia ſiue ſubſtātiali per-

ceptione ſiue præſentia carnis & ſan guinis Domini. Sed cùm de cõmunicatione ſiue participatione agitur, Chriſti nomen quod ad naturam ſpiritalem & humanã eſt promiſcuum ſubſtituit, atque in Cinglianorum gratiam Lutheri dogmata ferit: ſua tamen interea non eiurat: ſed verborum ambiguitate ſalua & integra relinquit. Deprehenſa tamen Bernæ fuit eius perfidia. Nam cùm publicè haberet colloquium cum Flandro quodam Zacharia nomine, & patrocinaretur Cinglianorum cauſæ, quorum gratia & fauore tum egebat, in ipſo temporis articulo quo magis efferueſcebat in amplificanda Cinglij ſententia, è ſinu produxit aduerſarius epiſtolam ad D. Faleſium Caluini manu ſcriptam, rogáuítque an exaratas lineas manu

Heshuſius. Michael Fabritius Lindanus in Dubitantio.

ſua agnoſceret. Hoc cum eſſet faſſus ingenuè Caluinus, Zacharias ille poſtulauit publicè legi & audiri grauiora contra Cinglium Caluini conuitia, quàm antea audiſſent ex ipſo Cinglij encomia.

Cæterùm poſt illam cõſenſionem à Caluino ineſcati Cingliani deſerta prima Cinglij ſententia in mitiorem eiuſdem (vt nonnullis placet) tranſierunt; & fateri cœperunt nos non ſolos fructus & beneficia nuda nanciſci de Chriſto, ſed eius carni nos inſeri per fidem, ex qua emanarent ad nos quæcunque dona: & eo pacto carnem Chriſti prodeſſe etiã in cœna. Ita ſæpe Petrus martyr, Bullingerus, atque alij aſſentiũtur, & in iſtam imaginationẽ recidit Caluinus cum ſuis, licet aliquando meliora verba quaſi nebulas ab oculos iaciat.

Vt autem Caluini fallaciam pergamus detegere, nõ ſimpliciùs cum Lutheranis quàm cum Cinglianis verſatus eſt. Nam cùm illi de nouo iſto omnium cenſore mouerentur, ipſe libellum in lucem emiſit, quem inſcripſit, Summa confeſſionis de Sacramentis, in quo conatur demonſtrare, quòd qui ſunt Confeſsionis Auguſtanæ nihil diuerſum à Tigurinis ſentiant. Iſtud cùm nequirent pati Lutheri ſectatores, quia à Luthero ſuó defeciſſe, & in caſtra Cinglij trãſfugiſſe dicerentur, ſcriptum Caluini contrario aggreſsi ſunt, quibus alterum libellũ Caluinus oppoſuit, quẽ nominat Defenſionem ſanæ doctrinæ de Sacramentis, quam paſtores & miniſtri Tigurinæ ecclesiæ, & Geneuenſis antehac breui cõfeſsionis formula complexi ſunt, vnà cum refu-

tatione probrorum quibus eam indocti & clamoſi homines infamant. Inde nata ſunt diſputationum interminatarum inter Caluinum, Vveſtphalum, Heſthuſſium, atq; alios miniſtros certamina, contra quos Caluinus perpetuò ſolet inculcare, nihil à ſe dictum de Euchariſtia contra confeſsionem Auguſtanam, quandoquidem de re conuenire teſtetur, de perceptione ſcilicet ſubſtantiali corporis & ſanguinis Domini: tantùm de modo diſſenſionem modicam & leuem ſupereſſe, quæ potius ſit condonanda concordiæ & paci publicæ, quàm mordicùs retinenda. Quoties cum his agit, obtundit lectores realitate, & ſubſtantia corporis & ſanguinis Domini, atque aliis ſpecioſis vocibus & locutionibus, quæ Lutheranos ſimplices demulceant,

ceant, Cinglianis verò ſcrupulum iniiciant: ſemper tamen vtroſque ſuſpenſos & incertos tenet, dum interea nouum mõſtrum parit atque alit, quod ſpecie nouæ religionis in Deũ & homines abiecta omni religionis, ac iuris conſcientia graſſatur, & peſſima quæque molitur. Hoc impoſturæ genus Beza à magiſtro didicit, & quocũque locorũ venit, gnauiter exercuit. Narrat auctor libelli editi nomine Michaëlis Fabritij cõtra Caluinũ & Bezam, ſe tum in Germania cum multis aliis adfuiſſe, cũ ad Electorem Palatinũ Ottonẽ Henricum Lutheraniſmi aſſertorem vehementiſſimum Beza anno 1556 cum Farello acceſſit, eíque magna cum ſimulatione eximiæ pietatis confeſſionem obtulit, quam dicebat non modò ſuorum Allobrogum, ſed & Hel-

uectiorum eſſe, vt ita ſe in gratiã principis inſinuaret, & Francorum regem tyrannidis accuſaret, cuius edicto tum pellebantur, & capite puniebantur Caluiniſtæ, pro quibus orabat, vt apud regẽ Elector intercederet precibus & cõminationibus. In ea tam ſuo quàm Cinglianorũ nomine verum & reale ac ſubſtantiale corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpecie rerũ viſibilium repreſentari & exhiberi profitebatur ad verbum. Dux & qui aderant, amplexi ſunt eam confeſſionem, & communis gratulationis ergò miſerunt Duci Vvirtembergenſi. Hic Cinglianorum cõuerſionem nõ minus admiratus eſt, laudauítque. Cum autem Tigurini audirent propterea de ſe in Germania triumphari, noluerunt eam impoſturam tolerare. Itaque non modò non agnoue-

runt Confeſſionem, quam eorum nomine Beza obtulerat, ſed & acerrimè oppugnarunt, & auctorem qui eorum mandatum fuiſſet ementitus, falſi reum peregerunt. Beza vt eos leniret, allegabat dolum aliquando bonũ eſſe, & aliud agere atq; ſimulare. Attamen cũ his aliter recõciliari non potuit quàm cõfeſſione peccati. Horũ teſtes ſunt Ammerbachius atque alij plerique in Germania qui adhuc viuunt miniſtri. Ad ſuos Heluetios & Allobrogas Beza reuerſus, vt magis oſtenderet antea ſe Germanis illuſiſſe, oppugnationẽ Vveſtphali & Heshuſſij ſuſcepit, in eáque palam affirmat non aliam in Cœna Domini eſſe corporis & ſanguinis præſentiã, quàm in Baptiſmo, in concione, in lectione ſacræ ſcripturæ, atque in priuata meditatione quotiens

mens fidelis ad Chriſtum aſſurgit. Rurſus vt verbis fallat, & vt in genere loquendi ad Germanos videatur accedere, fatetur in Cœna Domini ſubſtantialiter, ac realiter verum & naturale Chriſti corpus eſſe & exhiberi: ſed Cœnam negat eſſe id quod inter homines ex Chriſti præſcripto geritur, cum eius maximam portionem in cœlo celebrari ac peragi ſomniet, cui fide interſumus & ſpiritu. Ita beſtiæ ſuaue eſt hominibus per ſuas argutias imponere, & inſtar Sphingis enigmata proponere. Vidi ego Bezã Piſſiaci Auguſtanã cõfeſſionem ſuperbè aſpernantem, Petro Martyri coram Gallorũ regina in diſputatione obmurmurantem, atque reluctantem, quia Cinglij puram doctrinam obtruderet, cùm militari Apoſtolo·

148

Bezæ media illa & Caluiniana magis arrideret. Tametſi vnà tum vixerent, & conducti aduerſum nos Catholicos omnem nauarent operam, omniáque ſua conferrent ſtudia atque conſilia, nunquam tamen in eandem cõſentire potuerunt manifeſtam & dilucidam confeſſioné. Hanc enim formulam non valde Auguſtanę prima facie aduerſam de ſancti Germani regio oppidulo Piſſiacum Beza ad nos miſit anno 1561 die 25 Septembris. Credimus in vſu Cœnæ Dominicæ verè, reipſa, ſubſtantialiter, ſeu in ipſa ſubſtantia, verum corpus & ſanguinem Chriſti ſpirituali & ineffabili modo eſſe, exhiberi, ſumi à fidelibus cõmunicantibus. Per eam conabatur fucum facere, quaſi cum Auguſtanis ſentiret: quia eorum verbis præfaretur

eſum corporis Domini,quē ſtatim Cinglianorum modo deprauat, & in purè ſpiritalem aſtutè contorquet,ad illámque fallaciam de Cœna cœleſti alludit. Martyri verò fallaciter ac dolo de religione tractari dolebat, & verebatur ne à Tigurinis malè geſtæ legationis & deſertæ ſuæ religionis accuſaretur, ideo ſeorſum iſtam formulam dedit. Reſpōdeo pro mea parte, Corpus Chriſti non eſſe verè ac ſubſtantialiter alibi quàm in cœlo: non tamen inficior Chriſti corpus & ſanguinem illius verum, quæ pro ſalute humana tradita ſunt in cruce, fide,ac ſpiritualiter percipi à fidelibus in ſacra Cœna. Ita Beza quandiu in poteſtate Lutheranorum fuit, eorū more de Cœna verba fecit: quoties in ditione Cinglianorum vixit,eorum

opinioni ſubſcripſit. Quando in Gallia potiri ſe ſumma rerum putauit, ſuam & magiſtri ſectā omnibus antepoſuit, atq; alias afflixit. Hanc enim Galliæ Antiſtitibus Piſſiaci cōfeſſionem obtulit, quam valere & obtinere iubebat omnibus aliis proſcriptis ac deletis: Cōfitemur Chriſtum Ieſum in ſua ſancta Cœna nobis offerre, dare, & exhibere veram ſubſtantiam corporis ac ſanguinis per operationem Spiritus ſancti, & quod percipimus ac manducamus ſacramentaliter, ſpiritaliter & fide proprium illud corpus quod paſſum fuit pro nobis, vt efficiamur os ex oſſibus, & caro de carne, & vt inde viuificemur, atque omnia ad ſalutē neceſſaria hauriamus. Et quoniam fides omnia promiſſa abſentia reddit præſentia, per eādémque

verè ac reipſa ſumimus verum & naturale Chriſti corpus ac ſanguinē potentia ſpiritus ſancti, eatenus confitemur præſentiā corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſacra Cœna. Iſta quidem formula cōfuſanea eſt, & verba miſcellanea omnium ſectarum, vt quidam Alcoranus ac Mahumetes nouus coaceruat, nihilominus omnes alias confeſſiones in vnā Caluini naſſam cogit & conſtringit. Nihil dico quid ad eam reſpōderint Epiſcopi & Theologi. Apparebit aliquādo Deo propicio vera huius colloquij hiſtoria. Tantum admoneo vt in iſta formula, ita in aliis ſuis ſcriptis & de Cœna Domini Confeſſionibus Bezam locutiones Cinglianis proprias interſeruiſſe, aliquando Lutheranas ſinceras interpoſuiſſe: ſed ferè ſemper

aliqua quæ vtraſque corrumpant, interieciſſe, & ex conſutis huiuſmodi centonibus de Euchariſtia doctrinā tradidiſſe, quam nullus ſani iudicij homo poteſt animo aſſequi. Quamobrē vt in ſumma dicta colligam, ſi quis noſſe deſiderat ſectarum de Euchariſtia diſcordiam memoriæ mandet Lutheranos pedibus manibúſque tueri in ſacramento eſſe ac recipi carnē naturalem Chriſti realiter ac ſubſtantialiter: à Cinglianis verò defendi carnem illam abeſſe à ſacramento, neque in illo percipi: & à Caluino dici illam eſſe, & non eſſe in ipſo ſacramēto, vt ōmnium oculos quaſi quidā in ſacris, præſtigiator perſtringat, propiùs tamen intuenti, facilè apparet in Cinglianiſmum deſinere; nec aliud de Cœna Domini definire, quàm in ea

per fidem excipi efficaciam quandam atque vim defluentem de carne Chriſti ſita in cœlo. Verum quo melius detegatur fallacia, ſcripta illius attentiùs conſiderari debent & diſtingui. Quædam enim ad Lutheranos & contra eoſdem compoſuit,in quibus ſe cum ipſis de re conuenire palam & apertè gloriatur, túmque verba Lutheranis propria congerit,tãtum de modo certamen ſibi cum ipſis reſtare aſſerit,quod illi in pane,ipſe verò extra panem tradi fidelibus verum Chriſti corpus exiſtimet,interea tamen ſemper nõnulla verba admiſcet, quibus quod cum Lutheranis ędificarat,deſtruit. Quædam etiam ſcripſit Cinglianis deſtinata, in quibus ſpiritalem manducationem amplificat, de reali & eſſentiali aut nullam mentionem fa

cit, aut eam aſperiùs repellit. Quædam ad ſuos inſtituendos & declarandam ſuam ſententiam de Cœna domini euulgauit, in quibus initio videtur ad veritatem Catholicam rectà ſpectare, ſed in eiuſdem ſermonis fine quædam ſubiicit, quę ad merum Cinglianiſmum bene antea dicta accommodent & inflectant. Breuiter ea de re ferè ſemper pugnantia loquitur. Ob iſtam perplexitatem cum accuſatur à Lutheranis vt præſtigiator & ſophiſta, eleganter aduerſus Heshuſſium reſpõdet ſe loqui vulgari more & aſſueto Lutheranis, ſed eo ſenſu intelligere qui ſuorũ auribus ſatisfaciat. Verba ipſius recitabuntur poſtea. Ita fatetur inuitus ſe impoſtorem eſſe atque agere. *& in cap. 11 1. ad Cor.*

Sed ne videar fideli Dei ſeruo (vt

à Beza poſt obitũ inauguratur) calumniam adornare, primum articulum de tribus propoſitis examinemus. An ſcilicet pugnantia atque contraria Caluinus ſcripſerit de re quæ in cœna ſumatur. Imprimis in Inſtitutione ſua docet hauriendam eſſe nobis vitam ſpiritalem à Deo, ſed eius canalem cõſtituendum in carne Chriſti, ſine qua vita ad nos non defluat: ita vt damnãdos illos, Cinglium nempe cum ſuis cenſeat, qui nos tantũ faciunt ſpiritus Chriſti participes prӕterita carnis & ſanguinis mentione. Sed ad inueniendam participationem illam carnis & ſanguinis, ſecundam fiſtulam & canalem componit, nempe Spiritus ſancti potẽtiam, adeo vt antequam vis ſpiritalis ad nos perueniat, opus habeamus duplici vitę ductu, carne

Inſtitut. lib. 4. cap. 17. num. 7. 8. 9.

Chriſti, & diuina ſpiritus omnipotentia. Conſtat ergo per Caluinum nobis participandum eſſe de carne Chriſti & ſanguine in cœna. Queritur quã-nam ſtatuat ille fieri in cœna carnis & ſanguinis Domini participationẽ. An veram, realẽ, & ſubſtantialẽ, & verè, realiter, ac ſubſtantialiter percipiatur Chriſti caro & ſanguis. An duntaxat ſpiritalẽ, quæ nõ carne ac ſãguine Domini re vera animas noſtras imbuat, ſed vi quadam, energia, & efficacia ditet, quæ prodeat & emanet à carne & ſanguine Chriſti non dimoti à cœlo. Non dubiũ quin iſta poſterior ſentẽtia ſit Caluino familiariſſima & ꝓpria, ſed vt eã paulatim inſinuet, vociferatur ſæpe ſe Chriſtum non bicorporem fingere, ſed affirmare, verũ, naturale & eſſentiale corpus Chriſti idem

quod fuit cruci affixum à fidelibus percipi, cùm non de eo propriè dubitetur, ſed an perceptionem talis corporis credat fieri realem ac ſubſtantialem, an tantùm ſpiritalem & energeticam. Hîc tergiuerſatur Caluinus, & interdũ ſimulat ſe amplecti ſubſtantialem, eandémque aliquando negat expreſſiſsimè: vbi bene ſubductis rationibus in nudè ſpiritalem deuoluitur, eáque eſt contrarietas quam in eius ſcriptis notauimus. Pro ſubſtantiali ac reali perceptione iſta ferè ſunt in eius libris quę probabilem afferunt coniecturam. Plerumque repetit non dubitari de eſu ſubſtantiali & præſentia corporis Chriſti, ſed tantum de modo, vbi exaggerat craſſum, vulgarem, ac carnalem ſitum corporum atque eſum, quaſi Luthera-

ni aut Catholici non vbique præſentur iſtos modos à ſe excludi, poni tamen ſubſtantialem præſentiam & manducationem, quæ modum inuſitatum, realem tamen, ſubſtantialem ac veriſſimum nanciſci poſſint ex Dei potentia, quemadmodũ anteà diſſerebamus. Deinde Caluinus paſſim de conuenientia ſignorum cum re ſignata diſſerit, támque verè exhiberi & præſtari à Deo & Chriſto res ſignificatas in ſacramento prædicat, quàm verè ſumuntur iſta ſigna, per quæ in Euchariſtia denotari & indicari carnis & ſanguinis Domini verum atque eſſentialem eſum atque potum, non ſpiritalem duntaxat, ne quidem Caluinus inficiatur, & Chriſti aſſeueratio comprobat, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur. Hic eſt ſanguis*

meus qui pro vobis effunditur. Accipite, edite, & bibite, vbi non ſola efficacia per Metonymiam proponitur: Nam non ſola nomina quæ efficaciam ac virtutẽ corporis & ſanguinis Chriſti enuntiant, exprimuntur: ſed ipſum ſubſtantiæ corpus quod pro nobis fuit traditum, nominatur, vt ipſum tam verè ſuſcipiatur, quàm eius proprium nomen per metonymiam Caluinianam pani in textu attribuitur.

Tertiò Caluinus diuidit ſubſtantiam Cœnæ ab eius fructu & efficacia, & eam diuiſionẽ ex verbis iſtis Chriſti probat, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*. Sic enim ſcribit in primum ad Corinth. cap. 11. Non ſimpliciter & ſine adiectione Chriſtus corpus ſuum nobis offert, ſed quatenus pro nobis immollatũ
eſt.

eſt. Prius ergo membrum ſignificat nobis corpus exhiberi: Hoc ſecundum, quod pro vobis datur, exprimit quis inde fructus ad nos perueniat. In Harmonia quoque tradit potione ſanguinis Chriſti ſanciri fœdus nouum, vt ſit efficax: quod idem eſt ac ſi diceret potionem ſanguinis præcedere omnino efficaciam huius ſacramenti: atque ita duplicem manducationem diſtinguit, realem vnam ac ſubſtantialem: & alteram ſpiritalem, quæ ſimul fiant, quemadmodum Catholici affirmant. Quartò cum ſuo Beza differre noſtrã mãducationem à patrũ participatione cõmemorat, quia noſtra ſubſtãtialis atq; actualis exiſtat, illorũ verò minimè: quanuis eos ſpiritaliter tantùm participaſſe non admittat, ſed inter ſubſtãtialem quæ nobis donetur ac purè ſpiritalẽ,

mediam aliam excogitat, quæ nec ſpiritalis nec ſubſtātialis dici poſſit, ſed propria ante Chriſti incarnationem patribus fuerit. Interim euincemus ex ipſo omnino ſubſtantialiter nobis impartiri Chriſti carnem & ſanguinem, id quod patres nulla ſancti ſpiritus operatione potuerunt adipiſci.

Quintò quid cōtra naturæ impoſſibilitatem miraculo atque virtute ſpiritus ſancti & canali opus eſt, quo attingamus rem & ſubſtantiam abſentem, ac tam lōgè à nobis diſſitam, vt placet Caluino, quàm cœlum remouetur à terra, ſi ipſam ſubſtātiam ac naturam carnis Chriſti re vera & ſubſtantialiter nos in terra poſiti nō deguſtamus. Etenim animo, fide, ſiue fidei intelligētia (vt interpretatur Caluinus) abſque nouo & ſpeciali miraculo ſpiritus ſancti atque potentia, li-

Lib. de Cōſ.

cet mihi quoties volo, Deo & Chriſto ſpiritaliter coniungi atque vniri. fruſtra ergo Caluinus toties cõmendauerit vim ſpiritus & operationem, ad eſum corporis Chriſti, niſi ipſum ſimpliciter faſſus fuerit ſubſtãtialem ac realem, vt aliquid præter efficaciã & vitam nobis afferat. Si enim ſubſtãtiam ipſam reipſa non aſſequimur, quid opus canali nouo ac ſingulari virtute ad infundendam efficaciam de carne Chriſti ſedẽtis in cœlo, quæ quotidie ſine particulari canali infunditur per baptiſmum, Euangelij prædicationem, mentis in Deum eleuationem. Iſta ſunt enim gratiæ diuinæ, atq; efficaciæ carnis & ſanguinis Domini ſecundum Caluiniſtas quotidiana & ſufficientia vehicula.

Sextò contra manducationem indignorum Caluino prora eſt & pup-

pis,quod diſtrahi nequeāt gratia ſiue efficacia carnis & ſanguinis Domini à ſubſtantia, atque ob id indignos priuari ait participatione ſubſtātiæ:quia propter indignitatem deſtituantur efficacia & gratia à Chriſti carne atque ſanguine diffluente. Eodem viciſſim cogitur argumento Caluinus concedere omnibus dignis carnis ac ſanguinis Domini ſubſtātiam adminiſtrari, quibus aliquā ex ipſa ſubſtantia energiam & donationem infundi conceſſerit,ne in vllo ſegreget ac ſeparet à ſe inuicem, quæ contendit vinculo indiſſolubili cōnecti. Poſtremò expreſſis literis & ſyllabis Caluinus plerunque ſcribit ſubſtantialiter nos paſci Chriſti carne, nos ab illo ſubſtantiæ ſuæ participes effici, animas noſtras ali ſubſtantia Chriſti,nuſquam à ſe ſolius efficaciæ participationem conſti-

tui, imò fateri ſub ſacris ſymbolis verum & ſubſtantiale exhiberi, atque realiter dari in cœna Chriſti corpus. Iſta ſunt ex ſcriptis Caluini collecta inciſa, quæ paulò poſt recitabuntur: & ex his argumentis poſſent multi cõiicere à Caluino affirmari nobis in Euchariſtia dari ſubſtãtiam corporis & ſanguinis Domini. Sequũtur prorſus repugnantia ex eodem Caluino ratiocinia. Imprimis quando cum Tigurinis habet negotium, tantum ſpiritalem manducationem per fidem determinat. Quoties ſimilitudinibus doctrinam ſuam de Cœna elucidat, intra limites efficaciæ continetur, ita vt ſubſtantiam ſubmoueat. Quemadmodũ enim calorẽ à ſole, vigorem à capite, ſuccum ex radice diffundi cernimus, ita de Chriſti corpore cœlis affixo influi vitã & efficaciam tradit,

vt de ſubſtantia nihil ſimus ſolliciti.
lnin in .3 Iohã. Proculdubio nec calor ad ſolis, nec vigor ad capitis, nec ſuccus ad radicis ſubſtantiam verè pertinet, nemóque eſt tam rudis (vt verbis Caluini vtar) qui non vnum ab altero diſtinguat, nec efficacia & vita nobis impartita ad corporis & ſanguinis domini naturam & ſubſtantiam magis ſpectat. Tertiò non reticet quoties nominauit ſubſtantiam, tantum à ſe intelligi pro ſubſtantiali vigore, quo comprehendatur aliquid à ſubſtantia abſtractum, id quod ſæpius vitam, efficaciam, rém, atque vim ſpiritalem nominat. Porrò ſubſtantiã carnis Chriſti non egredi cœlum, ad nos non penetrare, ad nos non deſcẽdere, nihílque ad nos de carnis ſubſtantia emanare defendit. Denique mirabili metamorphoſi multis in locis poſt-

quam multa effutiit de carnis ſubſtā-
tia, quæ nobis offeratur & diſtribua-
tur, ſubſtantiam ipſam in vitam, effi-
caciam, vim aliquam ſpiritalem atq;
gratiam, intra paucas lineas demutat
& percolat. Eo pacto vni omnium
mortalium Caluino, licet ex eodem
ore frigidum & calidum efflare, con-
traria tanquam diuina oracula fun-
dere, doctiſſimorum etiam oculos ef-
faſcinare. Nihil ergo definit ille quid
ex Chriſti Cœna reportemus, præter
gratiam, efficaciam, & vitam ſpirita-
lem ad nos per Chriſti carnem deri-
uatam. Et certè ne conſequantur ip-
ſum eædem abſurditates, quas nobis
de pluralitate locorū & Chriſti Aſcē-
ſione exprobrat, compellitur ſubſtan
tiam Chtiſti vno cœli loco coërcere,
ne ſi aliquid de ipſa nobis impartia-
tur, eandem in plures locos expandi

colligamus, & diuidi. Nā ſi quid nobis irrogatur de ſubſtantia, aut eius erit habēda dūtaxat portiuncula, aut ipſius integri corporis tota: Si prius reſpōdetur, erit igitur partibilis ſubſtantia ipſa: ſi poſterius, ſequetur totam ſubſtātiam & ipſum Chriſti corpus pluribus locis adeſſe. Non enim aliud putabitur eſſe corpus quàm ipſa tota ſubſtantia corporea: neque vnquam exiſtimabitur eſſe tota ſubſtātia corporis, quin ſit corporea & ipſiſſimum corpus. Non omittenda etiam alia Caluini contrarietas. Nam paſſim affirmat nos non magis in Cœna percipere corp⁹ Chriſti quàm in baptiſmo, & per verbi prædicationem. In catechiſmo verò ait tantum nos Chriſtum percipere per Baptiſmum in parte, in Euchariſtia verò totum. Textus ſic habet. Tametſi enim

tum in Baptiſmo, tum in Euangelio exhibetur Chriſtus, cum tamen non recipimus, totum, ſed ex parte tantũ. Quid ergo in ſymbolo panis? Corpus Chriſti reſpondet, vt ſemel pro nobis ad nos Deo reconciliandos immolatum fuit, ita nunc quoque nobis dari. Quid ergo in ſanguinis ſymbolo? Chriſtum ait, vt ſuum ſanguinem ſemel in peccatorum ſatisfactionem, preciúmque redemptionis noſtræ effudit, ita nunc eum nobis bibendum porrigere. Profectò hîc apertè oſtendit non ſolam efficaciam ex Chriſto hauriri, cum tota æquè capiatur in Baptiſmo, & in vna Cœnæ ſpecie ſiue panis ſiue vini: ſed exprimit duas partes corporalis ſubſtantiæ in Cœna ſumi ſub duobus ſymbolis, non autem ita fieri in Baptiſmo, vbi Chriſtus in parte percipiatur, ſpiritali ni-

mirum & non ſubſtantiali, alioqui quid Caluinus ſenſerit, cum dixit in parte, auguretur qui poterit.

Poſtremò ſi omnia conferẽda ſunt, ea doctrinæ Caluinianæ ſumma deprehẽdetur, vt nihil omnino de Chriſti Cœna reportetur. Etenim cum ſolam vitam & efficaciam percipi concludat, nihil verò prorſus de ſubſtantia ad nos delabi aut deſcendere, colligetur ne quidem nos vlla efficacia in cœna perfrui: quoniam à Caluino tanquam confeſſum atque compertũ ponitur prorſus inſeparabiles manere corporis & ſanguinis Domini ſubſtãtiam, eorundémque efficaciã: ita vt neutra ſine altera alicubi ſiſti poſſit. In hoc enim conſiſtit tota vis ipſius, quoties impugnat ab indignis ſumi corpus Chriſti. Scio quidem in conſenſione cum Tigurinis Caluinũ

ne quidem ſibi in iſta ratione conſtare. Nam ait aliquando ſuſcipi baptiſma ſine eius fructu, qui poſtea animo mutato, aduenit poſt aliquod temporis interuallum. Sic ait interdum accidere, vt quis cœnam percipiat ſine eius fructu propter incogitãtiam, qui poſtea ſuccedit vbi homo idem ad ſuam mentem redierit, etiam interiecto multo tempore. Iſta certè ſunt ægri ſomnia, & Caluini animi morbo laborantis deliria. Etenim ſi non percipitur nec ſubſtantia carnis Chriſti, nec efficacia & fructus in cœna, nihil ex ipſa præter panem reportatur, etiã à fidelibus. Ad hæc, ſi in vna & eadẽ ratione ſacramentorum conſiſteret, proculdubio quoties de ſanctificatione puerorum in vtero ſcribit, & de baptiſmo, nihil cõferre ſacramẽta nouæ legis aſſerit, ſed tantùm obſignare

Dei dona & promiſſa quæ aliunde poſſidemus. Eadem quoque de Sacramento Cœnæ ex generali ſacramentorum ratione inferenda ſunt & colligenda. Si viciſſim quod tradit de ſacramentis in Cœnæ negotio ad Baptiſmum applices, peribit omnis ſanctificatio in vtero, & Baptiſmo ſua vis conſeruabitur. Præterea ſi attendas quid requirat vt fruamur carne Chriſti in Cœna, nihil per illam nos aſſequi videbis, ſed tantùm habita obſignari. Fidem deſiderat qua incorporamur carni Chriſti, & ab eo omnia impetramus. Quid ergo allata ipſa fide & incorporatione per eam acquiſita cum effluentibus inde donis, quid inquam noui per cœnam de carne Chriſti aut eius efficacia nobis accedit? Quamobrē rectè agnoſcit Beza nihil noui in Cœna acquiri,

vt hîc poſtea proferetur. Poſtremò çum amplius de Cœna docere non debeat Caluinus quàm in eius contineatur inſtitutione, & in ea metonymiam eſſe oſtendat, vt pro, Hoc eſt corpus meum, ſit interpretãdum, hoc eſt ſymbolum ſeu ſignum corporis mei, Accipite & edite. proculdubio concludet Caluinus ex inſtiſtitutione Cœnę tantùm proponi, accipi, & edi ſignum corporis Domini, & proinde nullo modo corpus ipſum verum mãducari nec ſubſtantialiter nec ſpiritaliter. Quapropter ſi quis ſcripta Caluini & Bezæ diligenter obſeruarit & contulerit, triplicem opinionem de re quam acquiramus in Cœna deprehendet. Vnam quæ videatur ipſiſſimam carnis & ſanguinis ſubſtantiam polliceri: Alteram quæ nudam ac meram gratiam per me-

diatoris Chriſti carnem quaſi percolari ad nos effingat. Tertiã quæ nihil noui fateatur ex cœna referri, quod non alibi & anteà comparetur, preter panis & vini pauxillum de manibus impuri alicuius nebulonis & circulatoris miniſtri acceptum. Iam cœperunt hoc anno Lugduni nõnulli Caluiniſtæ ab aliis defectionem facere, auctore Lodoico Alemani Italo, aperire oculos, & intueri verborum effacinationes atque præſtigias, quibus ſuorum mentibus illudunt impoſtores Caluiniani. Sine verborum inuolucris & circuitu maluerunt ad primam Cinglij opinionem redire, quæ ſimpliciter & ingenuè concedit ſpiritaliter tantùm Chriſtũ in Cœna manducari, & beneficia omnia merito paſſionis eius ſumi, potiuſquã per fidei imaginationem ſomniare ſe veram

ipſam carnē Chriſti deguſtare, quàm non propius reipſa attingant iuxta Caluini doctrinā, quàm ſummi cœli verticem. Has ergo poſitiones dedit puri Cinglianiſmi apud Lugdunēſes Lodoicus reſtaurator.

1. In hoc ſacramēto cœnæ nulla nobis ad edendū aut bibēdū datur ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti.

2 Neque etiam per fidem, ſeu incōprehenſibili modo, vt vocant.

3 Quia hoc totum imaginarium, & repugnat apertiſſimo Dei verbo.

4 Hanc autē manducationem corporis & ſanguinis Chriſti, ſpiritualem tantùm eſſe contendimus.

5 Ad quam pii veram fidem ac pœnitentiam afferre debent, gratiarūmque actionem beneficiorum quæ accepimus à Deo per Chriſtum.

6 Chriſtus licet à ſuis fidelibus non

ſit abſens, tamen illius ſubſtantiale corpus conſtãter affirmamus nõ eſſe præſens in hac cœna.

Caluiniſtarum ſynagoga Lodoicũ illum conatur omnibus modis à reuelandis ſuis myſteriis & verborum effacinationibus reuocare, aut violẽtia opprimere, quaſi iam ſola regnũ in Gallia poſſideat. Ille magis & audaciùs crepat verbũ Dei quàm ipſa: tuetur ſe pacificationis publico edicto, quo ſe in libertatem conſcientiæ aſſerat, ſibi iuris tantum eſſe oſtendit redeundi ad primam Cinglij ſententiam, quantum aliis fuit deſerta Eccleſia catholica in hanc vel illam ſectam abeundi. Gloriatur inſuper, vt audio, magis ingenuè ſe agere cum mundo, quem nollit verborum ambagibus & ambiguitatibus fallere, neque quicquam Caluini conſenſioni cum

ni cum Tigurinis cõtrarium afferre, neque ſectam alienam ab intima Caluini doctrina introducere, cùm ab eo ſcriptũ didicerit, Chriſtũ ſola gratia & virtute nobiſcũ mãſurũ inæternũ, ab eadémque diſtingui videat duplicem præſentiam & abſentiam corporis Domini, realem ſiue ſubſtãtialem quæ cœlo contineatur, & ſpiritalem, ſiue (vt ita loquamur) virtualem, quã collocat in cœna, vt poſtea inter ipſi⁹ textus recitabitur. Eccleſiæ Caluinianæ Rabini, qui Lugdunum occupãt, breuem conſcripſerunt & ſparſerunt admonitionem, qua ſtudent demonſtrare & refellere Lodoici errorem, & in ea mirè amplificant ſubſtantiæ carnis Chriſti participationẽ: ſed fumum vendunt, cùm ad fidei imaginationem reuoluantur, & ſubſtantiæ toto cœlo à nobis remotæ vmbram

In Harmonia, ad locũ pauperes habebitis ſemper vobiſcũ.

cogitatione ſectentur. Quoties ſanè Chriſtianũ cerno ab Eccleſia Catholica ad Caluinianã cœnam cõfugere, canis ille Æſopicus mihi venit in mẽtem, qui omiſſa & amiſſa carne vera quã inter dentes poſſidebat, deluſus ſpecie carnis, relucẽte in aqua, ad eius vmbrã cucurrit, & fraudatus vtraque carne, vacuus & famelicus oblatrauit: ita contemplari ſoleo huiuſmodi hominem derelicta vera ſubſtãtia corporis Domini, quæ inſit Euchariſtiæ ſecundũ verbũ in inſtitutione Cœnæ prolatũ, vmbrã carnis ſitę in cęlo relucẽtẽ in fidei & Cœnę Caluinianę imaginatione captare, & eluſum inſanire ac furere. Eodẽ modo ſoleo cõſiderare Caluiniſtarũ de Cœna cõfeſſiones, qui deſerto plano ſermone Dñi aſſerẽtis carnis ſuæ præſentiſſimũ eſum in Euchariſtia, alia venantur vocabu-

163

la ſpeciem carnis & ſubſtãtiæ in Cœnæ vſu præ ſe ferentia, ſed deſinentia in vmbram & fantaſiam ſpiritalem atque inanem. Profectò ſi Caluiniſtæ ſextam propoſitionem Lodoici nominatim & expreſsè damnarent, atque affirmarent corpus Domini ſubſtantiale præſens eſſe in Cœna aliter quàm Chriſtus ipſe ſecundum hominem adeſt fidelibus ſuis, Caluino renuntiarent, & ſapienter ad Eccleſiæ Catholicæ fidem redirent, ac crederent nõ ſola efficacia, ſed re ipſa Chriſti corpus ſubſtãtiale reſidere in Cœna. Sin tuentur, non alio modo corpus illud ſiſti in cœna quàm nunc Chriſtus homo præſto eſt fidelibus, certè tantùm virtute, gratia, merito, & beneficio corpus illud exiſtet in Cœna, & cum Lodoico conuenient. Sed non eſt mei modò inſtituti his

me litibus admiſcere. Tantùm admoneo Caluiniſtas incidere meritò in foueam quam aperuerũt, & à Cinglianis ſcindi quos ſciderunt, ac ſperare me venturos alios qui laruam Caluinianæ fictionis iam per Lodoicum Alemani agnitam & detectam omnino ſint detracturi, ac profeſſuri ſicuti res eſt, nihil afferre noui cœnã Caluinianam, quod domi non liceat impetrare à Deo, & quod ante legitimum eſum cœnæ nõ ſit impetratum ab ipſo præter fruſtulum panis, & tantillum vini de manu infelicis miniſtri ſumptum, ac proinde fruſtra Cœnam adiri, & ingentes pecunias conferri ac corradi in ea: cùm nihil diuinum ſuſcipiatur in ipſa, quod domo non afferatur à fidelibus, quemadmodum in ſua Confeſſione teſtabatur Bourgius ille Pariſienſis conſiliarius à Cal-

uiniſtis dementatus. Hoc cum bene
noſſent coniurati, vt ſuas Cœnas magis commendarent, ad eáſque confederatos pellicerent, negotia coniurationis & ſeditionis in cœnis ad pacem & charitatem à Chriſto inſtitutis tractant, ita vt ſoleant multi iam rogare redeuntes ab huiuſmodi cœtibus, quid noui monſtri ferat Cœna, vt olim Africa. Ea de re conteſtor Caluiniſtarum conſciẽtias. Ieſum Chriſtum ſupplex oro ex animo, vt potenti ſua manu ac ſpiritu omnium oculos, qui Caluino nomen dederũt, aperiat, quibus aliquando quæ ſibi fiunt præſtigiæ diſcernant & euitent. Nunc textus Caluini producamus, & eos deſcribamus primo loco qui confirmant, vt apparet, ſubſtantiam ipſam ſumi, & poſteriùs ſubnectemus eos qui negant omnino.

Inſtitutionis lib. 4. cap. 17. num. 19. Ne quid cœleſti gloriæ Chriſti, quod fit dum ſub corruptibilia huius mundi elementa reducitur, vel alligatur vllis terrenis creaturis. Ne quid eius corpori affingatur humanæ naturæ minus conſentaneum, quod fit dum vel infinitum eſſe dicitur, vel in pluribus ſimul locis ponitur. Cæterum his abſurditatibus ſublatis quicquid ad exprimendam veram ſubſtantialémque corporis ac ſanguinis Domini communicationem, quę ſub ſacris Cœnæ ſymbolis exhibetur fidelibus, facere poteſt, libenter recipio, atque ita vt nō imaginatione duntaxat, aut mentis intelligentia percipere, ſed vt reipſa frui in alimentum vitæ æternæ intelligatur.

In vltima admonitione Vveſphali, Chriſti carne, quæ vim ſuam antequā

creata eſſet, exercuit in patribus, nunc ſubſtãtialiter nos paſcimur. Ingenuè docemus ſacramenta patrum & noſtra ſecundum plus & minus differre: quia etſi communis vtriſque ſubſtantia eſt Chriſtus, non tamen æqualis eſt eius exhibitio.

In ratione ineundæ concordiæ. Fruſtra litigatur de corpore duplici. Mutata quidẽ fuit conditio in Chriſti carne, vbi in cœleſtem gloriam recepta, quicquid terrenum, mortale, vel caducum erat, exuit. Interea tamen ſtatuere oportet non aliud corpus viuificum nobis eſſe, aut verè cibum poſſe cenſeri, niſi quod pro expiandis peccatis crucifixum eſt, ſicuti & verba ſonant. Idem ergo corpus quod ſemel filius Dei patri in ſacrificium obtulit, quotidie nobis in Cœna offert, vt ſit in ſpiritale alimẽtum.

Tantum de modo tenẽdum eſt quod nuper attigi, non opus eſſe deſcendere carnis eſſentiam de cœlo vt ea paſcamur, ſed ad penetranda impedimenta, & ſuperandam locorum diſtantiam ſufficere ſpiritus virtutem. Interea nõ negamus quin modus hic humanæ mẽti ſit incomprehẽſibilis, quia neq; naturaliter caro vita eſſet animæ, neq; è cœlis vim ſuã in nobis exereret, neque fruſtra communicatio, quæ nos facit carnẽ à carne Chriſti & oſſa ex oſſibus eius, vocatur à Paulo magnum myſterium. Ergo in ſacra Cœna miraculum agnoſcimus, quod & naturæ fines & ſenſus noſtri modum exuperat, dum Chriſti vita fit nobis communis, & eius caro in alimentum datur. Modo quęcunque definitioni nuper poſitæ repugnant, cõmẽta procul faceſſant, qualia ſunt

de corporis vbiquitate, vel de occulta ſub panis ſymbolo incluſione, vel de ſubſtantiali in terris præſentia.

In Heshuſſium de ſuo Cathechiſmo citat: Non dubito quin ſicuti verbis & ſignis teſtatur, ita etiã ſuæ nos ſubſtantiæ participes faciat, quò in vnam cum eo vitam coaleſcamus. Interrogãti quî hoc fieri poſſit, cum in cœlo ſit Chriſti corpus, nos autem in terra adhuc peregrinemur: reſpondetur hoc mirifica arcanáq; ſpiritus ſui virtute effici, cui difficile non eſt ſociare quæ locorum interuallo alioqui ſunt diſiuncta.

De Cœna Domini: Concludendũ duo nobis in Cœna offerri, Chriſtum ſcilicet vt fontem, originem, ac materiam bonorum omnium, deinde fructum & efficaciam mortis & paſſionis ipſius. Quod etiam verba quæ in

Cœna proferuntur ſatis oſtendunt. Cum enim iubet nos corpus ſuum manducare,& ſanguinem bibere, addit corpus ſuum pro nobis traditum fuiſſe, & ſanguinem in remiſſionem peccatorum noſtrorũ effuſum fuiſſe. In quo primum demõſtrat nobis nõ ſimpliciter corpus & ſanguinẽ ipſius ſine vlla alia conſideratione communicari,ſed etiam fructum qui ex morte & paſſione ipſius ad nos redit percipi oportere. Quemadmodum dictum eſt ſpiritum eius vitam eſſe noſtram,ita ipſe ore ſuo pronuntiat carnem ſuam cibum noſtrum eſſe, ſanguinem ſuum verè potum noſtrum. Si hoc non de nihilo dicitur, neceſſe eſt vt vita noſtra in Chriſto ſita ſit, animas noſtras ipſius carne & ſanguine veſci,velut cibariis propriis & peculiaribus. Eius rei teſtimonium

habemus in Cœna,cum dicitur de pane vt accipiamus & mãducemus,corpus ipſius eſſe, de calice vt bibamus, ipſius eſſe ſanguinem. Nominatim de corpore & ſanguine habetur ſermo,vt diſcamus in eis vitę noſtræ ſpiritalis ſubſtantiam inquirere.

In vltima admonit. Vveſtph. Ne Magdeburgenſes tenebras lectorum oculis offundant, vel contorta eorũ ſophiſmata,vel odioſæ quas nobis aſcribunt ſententiæ,hîc teſtatũ eſſe volo,non ita nos externa illa ſymbola à Chriſti carne & ſanguine diſcernere, quin vere réque ipſa præſtet Chriſtus atque impleat quod figuratur ſub pane & vino, nempe carnem ſuam eſſe nobis cibum,& ſanguinẽ eſſe potum.

Vbiq; teſtificor quia minimè fallax eſt Chriſtus in ſuis ſignis viſibili elemẽto annexam eſſe veritatẽ,veréque

præſtari intus arcana ſpiritus virtute, quod figurant panis & vinum.

Fatemur verã corporis & ſanguinis Chriſti communicationem proponi in cœna. Cæterùm vbi modi explicatio quæritur, à nobis additur fieri arcana & incomprehẽſibili ſpiritus virtute, vt Chriſtus verę carnis ſuę & ſanguinis ſubſtãtia animas noſtras è cœlo paſcat, & panem ac vinum vera eſſe pignora rerũ cœleſtium quas figurant, quia quicquid ex Chriſti mandato promittit miniſter, ab ipſo auctore impletur.

Prudenter cõſiderant quod res eſt, quũ vtrinq; inter nos conueniat verè nobis offerri ĩ cœna Chriſti corp9 & ſanguinẽ, quorũ ſubſtãtia animæ noſtræ paſcãtur, & tantũ in modo mãducationis differant noſtræ ſentẽtiæ, nõ eſſe hanc iuſtã digladiandi cauſam.

In Heshuſſium, Eiuſdem eſt futilitatis, cũ dicit me ſolummodo de fructu & efficacia clamitare. Subſtantialis enim cõmunicatio vbiq; à me aſſeritur, modo faceſſat localis pręſentia.

Beza lib. 2. de re ſacramẽt. Nos quibus nõ pudet philoſophiã obiicere, tantùm tribuimus Dei verbo, vt non dubitemus nos qui in terris ſumus tam verè ac reipſa participes carnis manentis in cælis quàm ipſorum ſacramentorum.

Reſtat locus vnus, in quo Caluinus non abhorret ab aduerbio realiter, qui connumerabitur inter textus qui ſequuntur, quibus ſubſtãtia in efficaciam & ſpiritalem influxum ſiue gratiam tranſmutatur à Caluino, & in ſacramento negatur ſubſtantia percipi, ſed pura ſpiritalis res à ſubſtantia abſtracta & ſeparata. Reſtat etiã ſacra-

mẽtorum ratio huc accommodãda, quæ in altero articulo de præſentia corporis proferetur ex Caluino fuſiùs. Nunc igitur ſpectentur teſtimonia, quibus docet nos ſolã efficaciam carnis percipere, ac negat ſubſtãtiam delibare.

Imprimis in vltima admonitione Caluinus ridet Vveſtphallũ, qui Auguſtini verba de præſentia Chriſti in terris per gratiam & virtutẽ extẽdat, etiam ad ſubſtantialem in cœna. Hęc verò eſt mira metamorphoſis, ĩquit, quod de immenſa ſpiritus virtute dictum eſt, in carnis ſubſtantiam quæ finita eſt, vertere. Nos, quãuis in cœlo ſit Chriſtus, naturæ humanæ reſpectu, locorum diſtantia negamus impediri, quominus ſe nobis communicet, nec modo ſuſtineat nos ac gubernet ſuo ſpiritu, ſed carnem illam in

qua iuſtitiam nobis impleuit, viuificam nobis reddat. Nam etſi loco ipſa nõ mouetur, arcana tamen ſpiritus operatione ad nos vſq; penetrat eius virtus, vt ex eius ſubſtantia ſpiritalem vitam animæ noſtræ petant.

Duo eliciuntur inde, ridendum pariter eſſe Caluinum, qui ſubſtantiam in efficaciam & ſpiritalem vitam atque gratiam conuertat, etiam non dici ab illo ſubſtantiam nobis communicari, ſed virtutem à ſubſtãtia carnis effluentem. Triumphos agit Beza cõtra nos quaſi corpus Chriſti conſtituamus σῶμα ἀσώματον, id eſt in corpus incorporeum, quia iuſtis ſuis dimenſionibus ipſum in Euchariſtia priuemus, cum ipſe Caluinus & Beza σῶμα νόητον, id eſt tantum intellectuale, ac phantaſticon, ſiue imaginarium, reddant, imò corpus in vmbram &

vim ſpiritalem transforment.

Inſtitutio. lib. 4. cap. 17. num. 32. In ſacra Cœna iubet me ſub ſymbolis panis ac vini corpus ac ſanguinem ſumere, manducare, ac bibere, nihil dubito quin & ipſe verè porrigat & ego recipiam. Ingenuè interea confiteor mixturam carnis Chriſti cum anima noſtra, vel transfuſionem qualis ab ipſis docetur me repudiare, quia nobis ſufficit Chriſtum è carnis ſuæ ſubſtantia vitã in animas noſtras ſpirare, imò propriam in nos vitam diffundere, quamuis in nos nõ ingrediatur ipſa caro Chriſti. Specta quæſo hominis arrogantiam atque impudentiam. In eadem pagina non pudet illam profiteri verborum ſimplicium proprietatem, & interim à ſubſtantia in opus & actionẽ ſubſtantiæ, nimirũ vitã nobis impartitã tranſire.

In cap.

In cap. 11. primæ ad Corinth. Concludo, realiter, vt vulgò loquuntur, hoc eſt verè nobis in Cœna dari Chriſti corpus, vt ſit animis noſtris in cibũ ſalutarem. Loquor vulgari more, ſed intelligo ſubſtantia corporis Chriſti paſci animas noſtras, vt verè vnum efficiamur cum eo, vel quod idem valet vim ex Chriſti carne viuificam in nos per ſpiritum diffundi, quamuis longè à nobis diſtet, nec miſceatur nobiſcum.

In ratione ineundæ concordiæ: Emergit dubitatio de voce ſubſtantię, cuius ſedandę hęc videtur eſſe expedita ratio, vt craſſa imaginatio tollatur de carnis mãducatione, ac ſi corporalibus cibis eſſet ſimilis qui ore ſumpti in ventrem deſcendunt. Nam vbi hæc abſurditas remota fuerit, nõ eſt cur negemus ſubſtantialiter nos

paſci Chriſti carne, quia verè coaleſcimus cum ipſo in vnum corpus per fidem, & ita vnũ cum ipſo efficimur. Vnde ſequitur ſubſtantiali ſocietate nos cum ipſo coniungi non ſecus ac ſubſtantialis vigor à capite in membra defluit. Definitio igitur ſtatuenda erit ſubſtantialiter nos fieri carnis Chriſti participes, non quod fiat carnalis quędam mixtura, vel quod caro Chriſti è cælis elicita in nos penetret, vel quod ore deglutiatur, ſed quia nõ ſecus animas noſtras viuificet Chriſti caro quoad vim & efficaciam, ac panis viniſque ſubſtantia corpora aluntur.

Aliud præterea caput controuerſum eſt de voce ſpiritaliter, à qua multi abhorrent, quod putent imaginarium aliquid vel inane notari. Ergo hîc etiam ſuccurrat definitio neceſſe

eſt. Spiritalis ergo manducatio carnali opponitur. Carnalis autem vocatur qua putant quidam ſubſtãtiam ipſam Chriſti in nos transfundi ſicuti panis comeditur. Ex oppoſito autem dicetur ſpiritaliter nobis Chriſti corpus dari in Cœna, quia facit arcana ſpiritus ſancti virtus, vt quæ locorum ſpatio diſtant inter ſe vniantur, ac proinde vt è cælo ad nos penetret vita ex carne Chriſti, quæ vis & facultas viuificandi non incommodè abſtractum aliquid à ſubſtantia dici poſſet, modo ſanè hoc & dextrè intelligatur, manere ſcilicet in cælo Chriſti corpus, & tamen ad nos qui in terra peregrinamur, vitam ex eius ſubſtantia manare ac peruenire.

In Heshuſſium. Corruptorem me Auguſtanæ confeſſionis pronuntiãt, quia negem in Sacra Cœna fieri nos

participes ſubſtantiæ carnis & ſanguinis Chriſti. Atqui plus centies occurrit in ſcriptis meis, ideo me non reiicere ſubſtantiæ nomen, vt ingenuè ac libenter profitear ſpiritualem vitam incomprehenſibili ſpiritus virtute, ex carnis Chriſti ſubſtantia in nos diffundi.

Heshuſſius argutias, ſophiſmata, imò præſtigias mihi exprobrat, quaſi aliquid vel flexiloquum, vel ambiguum, vel quouis modò obſcurum eſſet in mea ratione loquẽdi. Quum ſubſtantialiter Chriſti carnem & ſanguinem nobis offerri & exhiberi in Cœna dico, ſimul modum deſigno quod Chriſti caro nobis ſit viuifica, quoniam Chriſtus incomprehenſibili ſui ſancti ſpiritus virtute, ex ſubſtantia carnis ſuæ vitam in nos tranſfundat, quæ illi propria eſt, vt ipſe in

nobis viuat, eiúſque vita nobis ſit cõmunis. Quî perſuadebit Heshuſſius in hoc tam luculento ſermone eſſe vllum ſophiſma, vbi & populariter loquor, & eruditis auribus ſatisfacio? En perditiſſimi hæretici ingeniũ, qui ſimplices & incautos verborum proprietate deludat, & verborum abuſu ſuis ſatisfaciat in eo ſenſu qui placuerit.

In ratione ineundæ concordiæ: Quiſquis ſano rectóque iuditio prędit⁹ ſimul compoſitum affectũ & ſedatum afferet, fatebitur ſolum de modo edendi eſſe certamen, quia palàm & ingenuè aſſerimus Chriſtum fieri noſtrum, vt quæ poſſidet bona nobiſcum deinde communicet, eius quoque corpus nõ modo ſemel fuiſſe datum in ſalutem noſtram, dum ad expiãda peccata immolatum in Cœ-

na fuit,ſed quotidie nobis in alimentum porrigi, vt dum ipſe habitat in nobis,bonorum etiam eius omnium ſocietate fruamur. Viuificum denique eſſe tradimus, quia vitam ſuam nobis inſpirat, nõ ſecus ac ſi ex panis ſucco vigorem trahimus. Ergo prout diuerſa edendi ratio ſtatuitur,ex hoc fonte oriuntur lites. Noſtra autem definitio eſt corpus Chriſti comedi, quia ſpirituale eſt animæ alimentum. Rurſus alimentum vocatur à nobis hoc ſenſu, quia incomprehenſibili ſpiritus virtute nobis vitam ſuam inſpirat, vt ſit nobis communis non ſecus atque à radice arboris vitalis ſuccus ſeſe diffundit,vel à capite in ſingula membra manat vigor. In hac definitione nihil captioſum, nihil obſcurum, nihil ambiguum, nihil flexiloquum.

In conſenſione cum miniſtris Tigurinæ Eccleſiæ: Vt eiuſmodi effectus in nobis proferat Chriſtus, vnũ cum ipſo effici, & in eius corpus coaleſcere nos oportet. Quia non aliter vitam in nos diffundit, niſi dum caput noſtrum eſt, ex quo totum corpus compactum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecũdũ oppoſitionem in menſura cuiuſque membri augmentum corporis facit. Hæc ſpiritualis eſt communicatio quam habemꝰ cum filio Dei, dum ſpiritu ſuo in nobis habitans facit credentes omnes omnium quę in ſe reſident bonorum compotes. Cuius teſtificandæ cauſa tùm Euangelij prædicatio inſtituta, tùm ſacramentorum vſus nobis commendatus fuit, nempe ſacri baptiſmatis & ſacræ Cœnæ.

In ratione ineundæ concordiæ.

Quod ad ſacram Chriſti Cœnam peculiariter ſpectat, conuenit ſub ſymbolis panis & vini proponi corporis & ſanguinis Chriſti communicationem. Conuenit etiam reipſa & efficaciter implerē Chriſtũ quicquid analogia ſigni & rei ſignatæ poſtulat, ideóque verè nobis in cœna offerri communicationem cum eius corpore & ſanguine, vel quod idem valet nobis, arram ſub pane & vino proponi, quæ nos faciat corporis & ſanguinis Chriſti participes. Denique planum fit à Caluino recognoſci, quòd tantùm in Cœna nobis erogetur vis quædā ſpiritalis incorporea, tametſi verbis & ſuis exemplis de ſole ac vigore corporeo, aliquid reale diſtinctum à ſpiritali gratia, vt à Cinglio diſcrepet, videatur polliceri, & illā tanquam germanam opinionem magiſtri Beza cũ

Bez. lib. 1. de re ſacra.

aliis Caluiniſtis magis, vt apparet, am plectitur. Iam enim eleuat ſimilitudines illas ductas à ſole & à capite, quoniam indicent reales radios à Sole & vigorem corporeum à capite defluere.

Beza lib. 1. de re ſacramentaria: Ad Cœnam non accedimus, vt tum primum Chriſto incorporati, percipiamus ipſius bona, quum etiam antea in baptiſmo ipſum induerimus, vt in ipſo ablueremur ab omnib⁹ peccatorum ſordibus, & peccato mortui in nouam vitã reſurgeremus, & poſtea verbo vitæ per fidem apprehenſo, rurſus propiùs cum eo coaleſcamus, ſed vt Chriſti magis ac magis participes facti, in ipſo adoleſcamus, ſiue vt quod iam obtinuimus, in nobis magis ac magis obſignetur.

De ſecũdo articulo reſtat diſſerẽdũ.

. præſen-corporis cœna. An Caluinus pręſentiam carnis & ſanguinis Chriſti aſſentiatur ſub pane ac vino ſiſti, nobíſque exhiberi, an cælo ſemper cõcludat. Non dubium quin hîc quoque præſtigias agat. Sæpe enim porrigi nobis ſub ſymbolis & per ſymbola aſſerit, ipſis carnẽ Chriſti tam verè coniungi quàm columbæ ſpiritus ſancti eſſentiam, per illa tanquam inſtrumenta ad nos deferri, ſingulari miraculo ac potentia ſpiritus ſancti eandem Chriſti carnem ad nos penetrare, quod eſt humanæ rationi incomprehenſibile. Contra verò ſæpe diſputat, & pręſentiam ſuo more ſub ſignis & exhibitionem in alium ſenſum detorquet, modo nihil ad nos de cælo emanare ait, ſed nos in cælum efferri: modo ſolam vim atque efficaciam ad nos defluere ponit, & diſtare carnem Chriſti definit

quantum cæli faſtigium à terra, duplicémque pręſentiam concludit, eſſentiæ, & virtutis atq; efficaciæ, quarum illa cælo contineatur, iſta nobis præſto ſit in Euchariſtia. Nonnunquam facetus impoſtor fatetur præſentiam in Cœna, ſed quatenus in cælo adminiſtratur non in terra.

Præcedenti articulo non ſemel protulit ſub ſacris ſymbolis communicationem carnis Domini nobis exhiberi. Alios locos expēdamus.

In Heshuſſium. In quibus patribus Deus viſus dicitur, minimè excluditur diuinæ eſſentiæ præſentia, cũ Dei nomen metonymicos ſymbolo aptatur, quo ſe verè nec figuratiuè tantũ, ſed ſubſtantialiter repreſentat. Columba vocatur ſpiritus ſanctus, an propriè vt Chriſtus alibi pronuntiat, Deum eſſe ſpiritum. Certè manife-

ſtum diſcrimen ſe profert, quia etſi verè tunc & eſſentialiter adfuit ſpiritus, viſibili tamen ſymbolo præſentiam & virtutis & eſſentiæ ſuæ ſpectandam exhibuit. Quam vero nequiter criminetur Heshuſſius nos fingere corpus ſymbolicum, huic liquet quod nemo verecunde colligat ſymbolicum ſpiritum fuiſſe conſpectum in baptiſmo Chriſti, quia verè ſub ſymbolo aut externa colūbæ ſpecie apparuit. Fatemur ergo corpus idem quod crucifixum fuit, nos cōmedere in Cœna, quamuis metonymica ſit quoad panem locutio, vt verè dici poſſit eſſe ſymbolicè verum Chriſti corpus, cuius immolatione reconciliati ſumus Deo.

De cœna Domini: Si quæratur, an panis ſit corpus Chriſti, & vinū ſan-

guis ipſius? Reſpondebimus, panem & vinũ ſigna eſſe viſibilia, quæ corpus & ſanguinẽ Chriſti nobis repreſentant, corporis verò & ſanguinis nomen eis attributum, quòd ſint veluti inſtrumẽta, quibus Dominus Ieſus Chriſtus nobis ea diſtribuit. Exẽplum in re ſimili valde proprium habemus. Cùm vellet Dominus ſpiritum ſuum in baptiſmo Chriſti apparere, eum ſub columbæ figura repreſentauit. Iohãnes Baptiſta hiſtoriam illam recitans, ſpiritum ſanctum deſcendentem ſe vidiſſe ait. Si propiùs attendamus, comperiemus ipſum nihil præter columbam vidiſſe: Nam ſàncti ſpiritus eſſentia inuiſibilis eſt. Cùm tamen ſciret viſionem illam inanem figuram non eſſe, ſed ſpiritus ſancti præſentiæ ſignum cer-

tiſsimum,affirmare non dubitat ſe illum vidiſſe. Ita in communione quã in Chriſti corpore & ſanguine habemus,dicendum eſt,myſterium ſpiritale eſſe, quod nec oculis conſpici, nec ingenio humano comprehendi poteſt.

Figuris igitur & ſignis quæ ſub oculorum ſenſum cadunt, vt naturæ noſtræ imbecillitas requirit, demõſtratur, ita tamen vt non ſit natura nuda & ſimplex, ſed veritati ſuæ & ſubſtãtiæ coniuncta. Meritò igitur panis appellatur corpus Chriſti, cùm id non modo repreſentet, verumetiam nobis offerat. Itaque facilè concederemus corporis Chriſti nomen ad panẽ transferri, quòd eius ſacramentum & figura ſit, ſed hîc adiungemus ſacramenta Domini nullo modo à ſubſtantia & veritate ſua ſeparari opor-

tere. Itaque fatendum eſt ſi vera ſit repreſentatio, quam adhibet Deus in Cœna, ſubſtantiam interiorem ſacramenti viſibilibus ſignis coniunctam eſſe, & quemadmodum panis in manum diſtribuitur, ita corpus Chriſti vt eius participes ſimus, nobis communicari.

In cap. 11. primæ ad Corinth. Quærenda eſt metonymiæ ratio. Hîc reſpondeo tantũ ſigno imponi nomen rei ſignatæ, quoniã ſit figura, ſed magis quia ſymbolum ſit quo res exhibetur. Similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus profanis & terrenis, quoniam à ſacramentis Domini habent aliquid diuerſum, non admitto. Vocatur Hercules ſtatua Herculis. Sed quid illic eſt præter nudam inanémque figuram? Columba autem ſpiritus vocatur, quia certa ſit

teſſera inuiſibilis ſpiritus præſentiæ. Proinde illud mihi extra controuerſiam eſt, veritatem cum ſuo ſigno cõiunctam eſſe.

Inſtitutio. libro 4. cap. 17. num. 10. Sũma ſit, nõ aliter animas noſtras carne & ſanguine Chriſti paſci, q̃ panis & vinum corporalem vitã tuẽtur & ſuſtinent. Neque enim aliter quadraret analogia ſigni, niſi alimẽtum ſuũ animæ in Chriſto reperirent, quod fieri non poteſt, niſi nobiſcum Chriſtus vere in vnum coaleſcat, noſque reficiat carnis ſuæ eſu & ſanguinis potu. Etſi autem incredibile videtur in tanta locorum diſtantia penetrare ad nos Chriſti carnem, vt ſit nobis in cibum, meminerimus quantum ſupra ſenſus omnes noſtros emineat arcana ſpiritus ſancti virtus, & quàm ſtultum ſit eius immẽſitatem modo

noſtro

noſtro velle metiri. Quod ergo mēs
noſtra non comprehendit, concipiat
fides, ſpiritum verè vnire quæ locis
diſiuncta ſunt. Iam ſacram illam carnis & ſanguinis ſui communicationem, qua vitam ſuam in nos transfundit Chriſtus, non ſecus acſi in oſſa ac medulas penetraret, in Cœna etiam teſtatur & obſignat, & quidem non obiecto inani & vacuo ſigno, ſed efficaciam ſpiritus ſui illic proferēs, qua impleat quod promiſit. Fateor ſanè fractionē panis Symbolum eſſe non rem ipſam. Verum hoc poſito, à ſymboli tamen exhibitione rem ipſam exhiberi ritè colligemus. Niſi quis fallacē vocare Deum volet, inane ab ipſo ſymbolū ꝓponi dicere audeat. Itaque ſi per fractionem panis Dominus corporis ſui participationem verè repreſentat, minimè dubium eſſe

debet, quin verè præſtet atque exhibeat. Atque omnino iſthæc piis tenenda eſt regula, vt quoties ſymbola vidēt à Domino inſtituta, illic rei ſignatæ veritatem adeſſe certò cogitēt ac ſibi perſuadeant. Quorſum enim corporis ſui Symbolum tibi Dominus in manum porrigat, niſi vt de vera eius participatione te certiorem faciat. Quod ſi verum eſt prębери nobis ſignum viſibile ad obſignandam inuiſibilis rei donationem, accepto corporis ſymbolo, non minus corpus etiam ipſum nobis dari certo confidamus.

Ibidem num. 11. Dico igitur (quod & ſemper in Eccleſia fuit receptum & hodie docent quicunque rectè ſentiunt) duabus rebus conſtare ſacrum Cœnæ myſterium, corporeis ſignis, quæ ob oculos propoſita res inuiſi-

biles ſecundum imbecillitatis noſtræ captum nobis repreſentent, & ſpirituali veritate quæ per ſymbola ipſa figuratur ſimul & exhibetur. Dico igitur in Cœnæ myſterio per ſymbola panis & vini Chriſtum verè nobis exhiberi, adeóque corpus & ſanguinem eius, in quibus omnem obediētiam pro comparanda nobis iuſtitia adimpleuit, quo ſcilicet primùm in vnum corpus cum ipſo coaleſcamus, deinde participes ſubſtātiæ eius facti in bonorum omnium communicatione virtutem quoque ſentiamus.

Ibibem num. 24. Nos rationi humanæ ita addictos eſſe iactant, nihilo plus tribuamus Dei potentiæ quàm naturæ ordo patitur, & dictat communis ſenſus. A tam improbis calumniis prouoco ad ipſam doctrinā quā tradidi, quæ ſatis dilucidè oſtendit,

me hoc myſterium minimè rationis humanæ modo metiri, vel naturæ legibus ſubiicere. Obſecro an ex phyſicis didicimus Chriſtum perinde animas noſtras è cælo paſcere carne ſua, atque corpora pane & vino aluntur? Vnde hæc carni virtus vt animas viuificet? Naturaliter non fieri omnes dicēt. Humanæ rationi nihilo magis placebit penetrare ad nos Chriſti carnem, vt nobis ſit alimētum. Denique quiſquis doctrinā noſtrā guſtauerit, rapietur in admirationē arcanæ Dei potentiæ. Iſti autem boni eius Zelotæ miraculum ſibi fabricant, quo ſublato euaneſcit Deus ipſe cum ſua potentia. Lectores iterum admonitos cupio, vt quid ferat noſtra doctrina diligenter æſtiment, pendeátne à ſenſu communi, an verò fidei alis ſuperato mundo tranſcendat in cælos.

Dicimus Chriſtum tam externo ſymbolo quàm ſpiritu ſuo ad nos deſcendere, vt verè ſubſtantia carnis ſuæ & ſanguinis ſui animas noſtras viuificet. In his paucis verbis qui non ſentit multa eſſe miracula pluſquam ſtupidus eſt, quando nihil magis præter naturam, quàm vt vitam ſpiritualem & cæleſtem animæ mutuentur à carne, quæ originẽ ſuam è terra accepit, & quæ morti fuit ſubiecta. Nihil magis incredibile quàm res toto cæli & terræ ſpatio diſſitas ac remotas in tãta locorum diſtantia, non ſolùm coniungi ſed vniri, vt alimentum percipiant animæ ex carne Chriſti.

Hactenus allata, præſentiã ſubſtantiæ Chriſti in ſymbolis ſimpliciter oſtendunt, nunc quibus ſuã telã retexat, videamus. Copulationem ſignatæ rei & ſignorum, non veram ac rea-

lem ſiue ſubſtantialem vult intellige-re,ſed ſolius pacti atq; promiſſionis, id eſt vt res ipſa ſignificatà exhibeatur quidẽ cum exhibentur ſigna, non tamen in ipſis ſignis, ſed ſeorſum à Deo. Ac ne quidem in ea ſententia conſiſtit. Nam negat nobis exhiberi aut ad nos defluere ipſam ſubſtantiã corporis & ſanguinis Domini,quam toties dixit ſignificari à ſymbolis panis & vini.

In ratione ineundæ concordiæ:Nomen corporis figuratè ad panẽ tranſfertur, neq; tamẽ figuratiuè, ac ſi nudam & vanam corporis ſui imaginẽ oculis noſtris obiiceret Chriſtus,quia veritas à figura non excluditur, ſed tãtum notatur diſcrimen inter ſignũ & rem ſignatam, quod coniunctioni non repugnat. Hoc conſtituto licebit admittere loquendi formulas in

quibus nõnulli ob ambiguitatẽ ſunt perplexi. Sub pane vel cum pane nobis dari Chriſti corpus, quia non ſubſtantialis vnio corruptibilis cibi cum Chriſti carne, ſed ſacramentalis notatur coniunctio. Hoc autem controuerſia caret apud omnes pios, inſeparabile eſſe vinculũ ſigni & rei ſignatę in promiſſione ipſa, qua Deus nihil fallaciter oſtentat, ſed figurat quod verè & reipſa præſtat.

In conſenſione cum miniſtris Tigurinę eccleſiæ: Materia aquæ, panis, & vini, Chriſtum nequaquam nobis offert, nec ſpiritualium eius donorũ nos compotes facit, ſed promiſſio ac magis fides nos Chriſti participes facit.

In Heshuſſium: Vt fide teneatur Chriſti corpus, non opus eſt ipſum defluere in terram, ſed nos in cælum

conſcendere.

In ratione ineundæ cõcordiæ: Quibuſdam ſpecioſum eſt nomẽ fidei ac ſi veritatem & effectum euerteret. Atqui longè ſecus accipere cõuenit, quia ſcilicet non aliter Chriſto coniungimur, quàm ſi mentes noſtræ mundum tranſcendant. Noſtræ itaque cum Chriſto coniunctionis vinculum eſt fides, quę ſurſum nos attollit, & anchoram ſuam iacit in cęlo, vt in ſua gloria à nobis potius quæratur Chriſtus quàm vt rationis noſtræ figmentis ſubiaceat.

Inſtitutionis lib. 4. cap. 17. mum. 31. Longe autem falluntur qui nullam carnis Chriſti præſentiam in Cœna cõcipiunt, niſi in pane ſiſtatur. Ita enim arcanæ ſpiritus operationi, quæ nobis Chriſtũ ipſum vnit, nihil reliquum faciunt. Chriſtus illis præſens

non videtur, niſi ad nos deſcendat. Quaſi verò ſi ad ſe nos euehat, non æque potiamur eius præſentia. Ergo tantum modo quæſtio, quia Chriſtũ ipſi in pane locant, nobis autem ducimus fas eſſe eum è cælo detrahere. Vtrum rectiùs ſit iudicent lectores. Tãtum faceſſat calumnia illa auferri Chriſtum à ſua Cœna niſi ſub panis integumento lateat. Nam cum myſterium hoc cœleſte ſit, neceſſe nõ eſt Chriſtum elicere in terras, vt nobis ſit coniunctus.

In Heshuſſium: Obiicit Heshuſſius. Si in cœlo eſt corpus Chriſti, non eſt igitur in Cœna ſed ſymbola dũtaxat. Quaſi vero Cœna, veris Dei cultoribus nõ cæleſtis ſit actio, vel quaſi vehiculum quo mundũ tranſcendant.

Beza lib. 1. de re ſacrament. Hactenus præſentiam corporis & ſanguinis

cuius myſteria omnia nos in cælos vſque ſubuehunt, vt rem ipſam, id eſt verũ Chriſti corpus, ibi per fidem amplexemur, dicimus qui ſit finis ac ſcopus tum ſacramenti tum vniuerſę illius actionis. Non dicimus tamen Chriſti corpus adeſſe in pane, quoniã nunc eſt in cælis.

Caluinus in Heshuſium: Nos indignè grauant, ac ſi doceremus panem eſſe ſignum abſentis corporis, quaſi non articulatè pridem commonefecerim lectores de abſentia duplici, vt ſcirent corpus Chriſti abeſſe quidem loco, ſed ſpiritali participatione nos frui, quia omnem diſtantiam ſuperat eius virtus.

In epiſtola ad Epheſios: Quum audimus aſcẽſum Chriſti, protinus nobis in mẽtem venit eum procul à nobis remotum eſſe, & eſt etiam ſanè

quo ad corpus & humanã preſentiã. Paulus autem admonet ita ſubdu-ctum fuiſſe corporali pręſentia, vt omnia tamen impleat, nempe ſpiritus ſui virtute.

In formula confeſsionis: Ac ne qua ambiguitas reſtet, cum in cælo quærendum Chriſtum dicimus, hæc locutio diſtantiam locorum nobis ſonat & exprimit. Tametſi enim philoſophicè loquendo ſupra cælos locus non ſit, quia tamen corpus Chriſti, vt fert humani corporis natura, & modus finitus eſt, & cęlo vt loco continetur, neceſſe eſt à nobis tanto locorum interualo diſtare quantũ cælum à terra.

In Heſhuſium: Dico quãuis Chriſtus ſecundum carnem à nobis abſit, nos tamen vere in Cœna corpore & ſanguine eius paſci, & fieri arcana ſpi-

ritus virtute, vt fruamur vtriuſque præſentia.

Inſtitutio.libro 4.cap.17. num.18. Hoc regnum nec vllis locorum ſpatiis limitatum, nec vllis dimenſionibus conſcriptum eſt, quin Chriſtus virtutem ſuam vbicunque placuerit in cælo & in terra exerat, quin ſe pręſentem potentia & virtute exhibeat. Secundum hanc rationem corpus & ſanguis Chriſti in ſacramento nobis exhibetur.

In prima defenſione contra Vveſtphalum. Abeſt igitur Chriſtus à nobis ſecundum corpus, ſpiritu autem ſuo in nobis habitans in cælum ad ſe ita nos attollit, vt viuificũ carnis ſuæ vigorem in nos transfundat, non ſecus ac vitali ſolis calore per radios vegetamur.

In 2.defenſione.Ego quamuis ſub-

ſtantia carnis animas noſtras verè paſci fatear, ſubſtantialem præſentiam quam imaginatur Vveſtphalus, non minus hodie quàm tum repudio.

De tertio articulo, quoad orationem Chriſti, hoc eſt corpus meum, modò Caluinus vrget ſermonem accipiendũ vt verba ſonant: modo corpus pro corporis ſigno per metonymyam transfert, & in relatiuo quod pro vobis datur, corpus idem propriè accipiendum iubet: ita vt in iſta breui locutione vnicam corporis voculã propriè & impropriè interpretetur, atque in antecedente metonymiam, in relatiuo verò literam & textũ premat: modò palàm & apertè prædicat corpus dici à Chriſto pro pane, ideóque corpus enuntiari impropriè, figuratè, ac metonymicè: modò inficiatur metonymiam aut figuram vllam

in corporis vocabulo collocari, ſed ad panem referri contra metonymię naturam, per quam nomen rei ſignificatæ ponitur pro re ſignificante: vt ſi nomen corporis pro panis vocabulò pronuncietur, quia per hunc ſignificatur: modò metonymiam toti orationi permiſcet: ne in vlla dictione redarguatur. Beza quidem omnibus allegationibus, quę de ſcriptura & patribus oſtendunt aliquid de naturali corpore Chriſti in Euchariſtia, vnam metonymiam opponit, corpúſq; ſemper nuncupari pro pane corporis ſacramento & ſigno contendit, quemadmodũ in Ioannis ſexto capite carnem capi metaphoricè & figuratè cõtendit: attamen rei abſurditate motus, qua fatẽdum eſt panem corporis ſignum eſſe traditũ pro nobis, ſi metonymia defigatur in corporis di-

Beza cont. Illiricum & in lib. de re Sacram. Vide Apol. Illirican.

ctione, cùm oporteat ipſum in eadē ſignificatione referri qua anteceſſit, propriè corpus à Chriſto appellari admittit,& à ſe atq; magiſtro ita ſemper acceptum fuiſſe. Sed metonymiā in propoſitionis nota & verbo, eſt, conſtituit,

Caluinus in cap. 11. primæ ad Cor. Audio quid verba ſonent, neque enim mortis tantùm ac reſurrectionis ſuæ beneficiū nobis offert Chriſtus, ſed corpus ipſum in quo paſſus eſt ac reſurrexit.

In Catechiſmo: Cum Dominus noſter Chriſtus ipſa ſit veritas, minimè dubium eſt, quin promiſſiones quas dat illic nobis, ſimul etiam impleat, & figuris ſuam addat veritatē. Quāobrem nō dubito, quin ſicuti verbis ac ſignis teſtatur, ita etiam nos ſuæ ſubſtantiæ participes faciat, quo in v-

nam

nam cum eo vitam coaleſcamus.

In Heshuſſium: Non eſt cõtrouerſia quodnam corpus deſignet Chriſtus, quia antehac ſatis ſupérque profeſſus ſum me non fingere Chriſtum bicorporem, ideoq; corpus quod ſemel crucifixum eſt in Cœna dari.

Inſtitutionis lib. 4. cap. 17. num. 1. Habemus in quem finem ſpectet myſtica hæc benedictio, nempe quò cõfirmet nobis corpus domini ſic pro nobis oblatum eſſe, vt nunc eo veſcamur, ac veſcendo vnius illius ſacrificij efficaciam in nobis ſentiamus, ſanguinem eius ſic pro nobis ſemel fuſum eſſe vt ſit nobis perpetuus potus, atque ita ſonant verba promiſsionis illic additæ, Accipite, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur. Corpus ergo quod oblatum ſemel eſt in ſalutem noſtram iubemur accipere,

& comedere, vt dum huius fieri videmus participes, viuificæ illius mortis virtutẽ certò ſtatuamus in nobis eſſe efficacem.

Ibidem num 3. Bonorum omnium habemus teſtificationem in hoc ſacramento, & certò ſtatuẽdum nobis verè exhiberi, ac ſi Chriſtus ipſe præſens aſpectui noſtro obiiceretur, & manibus tractaretur. Hoc enim verbum nec mentiri nec illudere nobis poteſt, Accipite, Edite, Bibite: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis qui in peccatorum remiſsionẽ effundetur. Quod accipere iubet, ſignificat noſtrũ eſſe: quod edere iubet, ſignificat vnam nobiſcum ſubſtantiam fieri.

Hactenus Caluinus ad literam corpus & propoſitionem Chriſti vſurpauit, ac riſit illos qui ſymbolicum cor-

pus putarent oſtendi quaſi Chriſtum bicorporem efformarent: nunc, audi prorſus contrariam.

In vltima admonitione ad Vveſt. Dicimus Spiritui ſancto eripere ius loquendi qui in verbis iſtis controuerſis, *Hoc eſt corpus meum*, literaliter inſiſtunt, ac ſi nefas eſſet interpretandi cauſa voculam addere.

In Harmonia: Quoties externum ſignum dicitur id eſſe quod figurat omnium cõſenſu metonymiæ locus datur.

Inſtitutionis lib. 4. cap. 17. num. 21. Propter affinitatem quam habent cum ſuis ſymbolis res ſignatæ, nomẽ ipſum rei fateamur attributum fuiſſe ſymbolo, figuratè, ſed nõ ſine aptiſſima analogia.

In Cõſenſione cum Tigurinis: Qui in ſolennibus Cœnæ verbis, *Hoc eſt*

corpus meum. Hic eſt ſanguis meus, preciſè literalem, vt loquuntur, ſenſum vrgent, eos tanquam præpoſteros interpretes repudiamus. Nam extra cõtrouerſiã ponimus figuratè accipienda eſſe, vt eſſe panis & vinum dicantur id quod ſignificant. Neque verò nouum hoc aut inſolẽs videri debet, vt per metonymiam ad ſignum tranſferatur rei figuratæ nomen, quia paſſim in ſcripturis eiuſmodi lectiones occurrant, & nos ſic loquendo nihil aſſerimus quod non apud vetuſtiſſimos quoque & probatiſſimos Eccleſiæ ſcriptores extet.

In Heshuſſium: Hoc ergo nos principium tenere fateor, & in ſcripturis communem omnibus ſacramẽtis loquendi formam, ac quanuis vnicuique ſacramẽto aliquid ſit proprium, & ab aliis ſeparatum, in omnibus ta-

men valere metonymiam, quæ rei ſignatæ nomen ad ſignum transfert.

Caluinus ſui figmenti iterum pertæſus, aliquando non agnoſcit metonymiam ſuam in dictione corporis, ſed in tota locutione cum refertur ad panem propoſitum à Chriſto.

In vltima admonitione: Nemo dicit corpus accipi pro figura corporis, ſed panem ſymbolicè vocari corpus, quia interponitur quaſi viſibile pignus, dum nos Chriſtus facere vult carnis ſuæ participes.

In Heshuſſium: Ablego vos ad pueros elementarios, qui ſciunt nomen ſymboli ad panem referri non ad corpus: Metonymiam non eſſe in ſubſtantia, ſed in verborum cõtextu. Fatemur corpus idem quod crucifixum fuit, nos in Cœna comedere, quamuis metonymica ſit quoad pa-

nem locutio,vt verè dici poſſit ſymbolicè eſſe verum Chriſti corpus, cuius immolatione reconciliati ſumus Deo.

In ratione ineundæ concordiæ: Nomen corporis figuratè ad panem transfertur, neque tamen figuratiuè, ac ſi nudam & vanã corporis ſui imaginem oculis ſuis obiiceret Chriſtus, quia veritas à figura non excluditur, ſed tantum notatur diſcrimen inter ſignum & rem ſignatam, quod coniunctioni non repugnat.

Beza vero iſti tertiæ expoſitioni fauet admodum libro primo de re ſacramentaria. Quod ad Cœnam attinet, inquit, tropum collocamus in copula enuntiationis, quoniam caro propriè dici de pane nõ poteſt. Puto me videre(ibidem addit)quid tibi im poſuerit. Putas à nobis conſtitui tro-